

ginis capita iam vis proponere? Nonne satius esset rudimenta catechetica denuo tradere, ac doctrinam de poenitentia, de collatione donorum spiritus s. etc. sedulo inculcare, ut hac ratione ad coetum vere credentium reducerentur, qui antea vera in Christum fide praediti, eum iam publicae ignominiae faciant exemplum? Ad hocce dubium hic respondet Apostolus; etiamsi, inquit, in gratiam eiusmodi hominum repeatat prima christianismi rudimenta, hoc tamen iis parum profuturum esse, cum fieri haud possit, ut ad seriam renouentur poenitentiam, et cum non tam euangelicae doctrinae laborent defectu, quippe quam iam olim probe perspexerint, et de cuius veritate intime fuerint conuicti, quam summa voluntatis corruptione, qua adducti veritatem antea iam cognitam, omni via et studio in animo suppressant. Hic sermonis nexus adeo clare ex verbis Apostoli perspicitur, ut mirer qui fiat, quod interpretes fere omnes, B. GERHARDVS, SEL. SCHMIDIVS, PAREVS, ESTIVS etc. in eo determinando a se inuicem discrepent, et in alienas a nostra pedibus eant sententias.

§. III.

Ex dictis facile est colligere, quemnam Apostolus in verbis, quorum explicationi manus iam admovimus, scopum sibi habuerit praefixum generalem; tradit scilicet quibusnam hominibus euangelicae doctrinae adnuntiatio nil profit, qui per eam ad poenitentiam renouari haud possint, describit eos a statu ipsorum tam praecedente, quam praesente. Ratione status praecedentis eos dicit v. 4. 5. ἀπαξ φωτισθέντας, γευσαμένες τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπεχρενίας, καὶ μετόχες γενηθέντας πνέυματος ἀγίας, καὶ καλὸν γευσαμένες θεῷ ἔημας δυνάμεις τε μέλλοντος αἰώνος, tales, qui semel fu-

A 3

erint